



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XIV. Markgraf Ludwig überläßt dem Stifte Soldin das Patronat über die Kirchen zu Leppehne, Friedeberg, Woldenberg und Barnitz für das Recht, die Mitglieder des Domstifts zu präsentieren, am 1. Juli ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

pus predictum aliquas personas ad prelaturas et dignitates aut personatus eligere, nisi de consensu et voluntate sepedicti domini nostri marchionis et suorum successorum. Adjicimus etiam si idem dominus noster marchio, heredes vel successores ipsius, vellent vnam vel duas personas nobis presentatas in ipsorum curiis vel obsequiis tenere, eidem vel eisdem, dummodo vicarios ydoneos statuerint, ipsarum prebendarum obventiones debemus assignare et volumus presentate. In quorum euidenciam et perennem memoriam presens scriptum dedimus sigillo nostri capituli roboratum. Actum et datum kunigesberg, anno domini M^o. CCC^o. XXXV^{to}., in die beati Johannis baptiste.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staats-Archives (I. Cod. 4 in qu.) und Diefmann's Sammlung fol. 293.

XIV. Markgraf Ludwig überläßt dem Stifte Soldin das Patronat über die Kirchen zu Lippehne, Friedeberg, Woldenberg und Warnitz für das Recht, die Mitglieder des Domstifts zu präsentiren, am 1. Juli 1335.

In nomine domini amen. Cum humane presentis conditionis sexus contractus, actuum et causarum negotia lapsu vetustatis et obliuionis rubigine deperire consueuerint, si certis munimentorum indiciis non fuerint communita, necessarium fore credimus, vt actus vniuersos et specialiter, quos sanctam tangit ecclesiam, presens etas scripturarum perhennet testimonio, vt ipsos successua posteritas inueniat perhennatos. Sane nos Ludouicus, dei gratia Marchio Brandenburgensis etc., pio deuocionis zelo moti, quem honorabilibus viris Preposito, Decano et capitulo ecclesie Soldinensis hactenus commendabilium suorum meritorum consideratione gessimus, attendentesque egestatem et inopiam ecclesie predictae et necessariorum defectus, quibus ipsos opprimi cognouimus, quibusque, ob diuine remunerationis respectum, animarumque progenitorum predecessorum et anime nostre, heredum et successorum nostrorum salutem perpetuam, pro quibus altissimum inuocare sedulo tenebuntur, mederi salubiter volumus et nitimur mero nisu, ipsis preposito Decano et capitulo prenotatis tam presentibus quam futuris ob subleuamen egestatis et defectuum premissorum dicte ecclesie incumbentium, ob honorem et laudem omnipotentis dei, gloriose virginis Marie matris eius, ex maturo nostri consilii consilio, damus appropriamusque per presentes iura patronatus ecclesiarum parochialium ciuitatum Lippen, Vredeberg et Woldinberg ac ville Warnitz cum vniuersis dictarum ecclesiarum pertinentiis eisdem rite pertinentibus ex consuetudine vel ex jure, sine impedimento quolibet, perpetue quiete et pacifice possidenda. Tali tamen conditione interposita vel inclusa, quod nos heredes aut successores nostri legitimi, sine ipsorum contradictione et qualibet alia, debemus et debebunt singulas dicte ecclesie prebendas conferre et ad ipsius ecclesie prelaturas siue dignitates, ipsorum tamen canonicorum habito super eo consensu, personas competentes et ydoneas presentare. Quam quidem presentationem per nos faciendam instare volumus, dum quatuor persone per ipsos nunc actu recepte pueriles prebendas habentes fuerint immediatus consequute. Volentes, quod si nos heredes aut successores nostri vellemus vel vellent vnam vel duas personas nobis vel ipsis competentes, coram nobis vel ipsis nostris successoribus in nostris vel ipsorum curiis

et obsequiis tenere, quod eidem vel eisdem personis, dummodo tamen vicarios secundum ipsius ecclesie consuetudinem statuerint, prebendarum ipsarum obventiones per capitulum predictum ministrantur. Renunciamus igitur pro nobis heredibus et successoribus nostris omni suffragio iuris, facti, statuti vel consuetudinis, quod nobis ex nunc in dictis ecclesiis competit, aut in eisdem in futurum posset competere, si premissae conditiones fuerint observate. In quorum omnium evidentiam et testimonium presentes conscribi sigillique nostri appensi manimine iussimus communiri. Testes hujus scripti sunt strenui milites Diepoldus Guzze, Altmannus de Degenberg, Johannes de Buch, Ludouicus senior de Wedel, Albertus Gemminger, Henningus de Jagow, Henricus de Krocheren, Albertus de Wolfstein, famulus, honorabiles viri dominus Gerwinus, Prepositus Bernowensis, Hermannus de Lucho cum aliis fide dignis. Datum Berlin, anno domini M. CCC. tricesimo quinto, Sabbato post festum Petri et Pauli apostolorum.

Aus demselben Copialbuche und Ditzmann's Sammlung fol. 96.

XV. Markgraf Ludwig befehlt einen Bürger Soldin's mit Hebungen aus der Münze zu Königsberg, am 5. September 1335.

Anno M. CCC. XXXV. feria III^a infra octavam natiuitatis beate virginis Contulimus Walthero Verwer, cui in Soldin, septem librarum redditus in moneta kunigspere eo jure et modo, sicut ipsos Henningus de wenningen habuit et possedit, iure nostro tamen saluo, quiete et pacifice possidendos.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staats-Archives (I. C. 4 in quarto.)

XVI. Markgraf Ludwig vereignet zu einem von dem Schulzen der Stadt Soldin in der hiesigen Pfarrkirche gestifteten Altare verschiedene Hebungen, am 18. November 1336.

In nomine domini amen. Erroris mater obliuio nocumenta rebus et causis inducere consuevit, nisi sibi testium vel scripturarum patrocinio salubrius obuietur. Hinc est, quod nos Ludouicus, dei gratia etc. volentes magnificorum principum bone recordationis Marchionum Brandenburgensium predecessorum nostrorum, nostri, heredum ac successorum nostrorum saluti animarum diligentius prouidere, altari in honore sancti Jacobi apostoli dedicato, in ecclesia parochiali ciuitatis nostre Soldin sito, per discretum virum Meynonem, eiusdem ciuitatis nostre scultetum nobis dilectum, dotato siue fundato, appropriauimus et presentibus appropriare decreuimus IIII frusta reddituum preter V solidos denariorum Brandenburgensium in censu manforum, vulgari nomine Hauenzins